

Die 4 eiusdem mensis illustrissimus ac reverendissimus dominus summo mane se contulit ad ecclesiam parochialem Sancti Laurentii loci Lamae, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Petro Maria Pauli oeconomus; et omnibus de more persolutis et audita missa visitavit sanctissimum Sacramentum, [69v] quod minus decenter invenit asservatum, prout ex decretis, et oeconomus praedictus populum benedixit.

Baptisterium et sacra olea quantum satis decentia sunt. Tum visitavit altaria, quae sunt quinque. Maius, sanctissimi Sacramenti. Secundum, sancti Philippi Nerii, et altare seu cappella praedicta est de iure patronatus dominorum de Bartolis et fuit erecta a quondam sacerdote Antonio Baptista Bartoli olim paroco, et pro manutentione assignavit quinque olivarum plantas (etc.), prout in inventario. In hoc altari extat reliquia ex praecordiis dicti sancti Philippi in semibusto; sed cum deessent litterae authenticae, illustrissimus dominus interrogavit an veneraretur et a quo tempore. Plures de senioribus populi asseruerunt a quinquaginta et pluribus annis venerari; et idcirco illustrissimus dominus ea admittere duxit.

E conspectu eiusdem cappellae extam [sic] tertium altare seu cappella sancti Antonii Patavini de iure patronatus domini Ioannis Caroli Bonavita, de qua fusius vide in inventario.

In eadem parte extat altare seu cappella sancti Ioannis Baptistae iurispatronatus domini Antonii Santini, et in eo erecta [70r] cappellania a quondam Ioanne Baptista Santini; sed nescire potui quot redditus et quot missae sint eiusdem cappellae, cum capitalia fere omnia perierint et sint dispersa.

Praeter dicta altaria particularium, caetera omnia manutinentur a populo; et illustrissimus dominus laudavit pietatem eiusdem.

Modernus parochus est sacerdos Raphael Defendini, qui non residet, sed Bastiae moratur. Cum enim exorta fuerint quaedam iurgia inter ipsum parochum et nonnullos alios dicti loci, nepos eiusdem parochi telo ignito eorum unum prostravit; unde dictus parochus coactus fuit aufugere (etc.).

Annui redditus huius parochiae sunt librae mille circiter. Familiae 47. Sacerdotes 4. Animae 200. Altare privilegiatum deputatum fuit altare maius.

Sciendum est quod etiam dicta ecclesia comparochialis est, et dicata beatae Virgini Mariae; antiqua enim Sancti Laurentii parochialis fere prorsus destructa; unde licet dicta ecclesia comparochialis sanctae Mariae sit dicata, tamen ecclesia parochialis Sancti Laurentii nominatur. Et ita (etc.).

[...]

Pro ecclesia parochiali Sancti Laurentii Lamae

Intra mensem conficiatur novum conopeum ex serico albo pixidi, et interim vetus sit omnino interdictum.

Baldachinum altaris maioris accomodetur intra sex dies, sub poena librarum decem.

Comparetur *Sacrum Convivium*, *Lavabo* et *In principio* pro altari sancti Philippi iurispatronatus dominorum de Bartolis, idque fiat intra duos menses, sub poena librarum viginti.

Intra decem dies claudatur omnino ianua quae est cornu epistolae in dicta cappella sancti Philippo Nerii.

Intra quatuor menses claudantur laminis vitreis faenestrae omnes, sub poena librarum quinquaginta.

Fiat nova alba pro cappella sancti Philippi Nerii intra quatuor menses, quibus elapsis vetus sit interdicta.

De caetero vero cum illustrissimus dominus ecclesiam decenter retentam invenerit, populi pietatem laudando ad perseverandum etiam in posterum hortatus est.